

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa XI. De Beato Bernardo Ptolomæo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

Prosa Decima. 109
omnium honestamenta, atque incre-
menta virtutum.

PROSA UNDECIMA.

De Beato Bernardo Ptolomeo.

ORATIO.*



Obilissimus, quam
quam obscuræ jam
pridem originis Ni-
lus cum ad certam,
& quasi dictam diem
suis sese incrementis
exuperat, alveique
leges dediscit in Ægypti latifundia tran-
sgrediens, ingentis Agricolæ partes ge-
rit, exequitur munus, Auditores sa-
pientissimi. Etenim pretiosè turpis, ac
turbidus ea velut incursione, & beni-
gno villarum ac prædiorum latrocinio
felicem usquequaque limum suum de-
ponit, ac triticum ipsum, humanæ
scilicet vitæ nutrimentum liberalissimè
lactat, atque nutrit. Hinc humani ge-
neris altrix olim Ægyptus suam pro-
vinciis, ac nationibus exuberantem
copiam refundit, suaque ubera tan-
quam

* *Dicta fuit à quodam Colleg: Ptolom: Convictore.*

110 *Prosa Undecima.*

quam in nutritii amoris argumentum
exporrigit, atque admoveat mundo.
Quando tam longè, latèque Ægyptia
munificentia protenditur, habet pla-
nè & suam ex Ægypto frugem Civitas
Virginis, Parens, ac sedes Heroum
Sena: percipit, inquam, ex Ægypto
frugem, at, quod miraculo sit, mini-
mè Ægyptiam, minimèque profanam,
sed sacram penitus, & celestem. Si ta-
men & frugem dicere malis, quām fru-
giferam arborem, quæ ad felicissimum
oliveti in Etruria montis cacumen sub
irriguos Cœli benignioris illapsus Deo
transponente collocata & in fructus, &
in novas subinde plantas progerminat.
Arbor hæc prognata jamdudum ex ge-
nerosa Ptolomæorum radice, cuius vel
nomen ipsum Ægyptiam vetustatem
sonat, censendus nobis est dicendus.
que in præsentia vir sanctissimus, &
sanctissimorum virorum institutor, ac
moderator Bernardus Ptolomæus. Sub
ipsa jam festinantis ad nos autumni
tempora, beatum arboris hujus autum-
num; siquidem ejus umbra & protegi-
mur, & proficimus Ptolomæi Convi-
tus Adolescentes; nunc intueri nos bre-

vi.

viter juvat, atque ad contuendum unā nobiscum vobis pariter sub aspectum proponere.

Ptolomææ nobilitatis lucem quasi aliquid vel ipso majus, & præstabilius cœlo ille gentilium lunarum gentilitio in stellmate numerus videtur quodammodo pulchrè, atque eleganter ostendere: quippe una cœlum luna, plures Ptolomæum domum illuminat. Attamen tantam præterire lucem in curiosius cogor, dum unus occupat detinetque intelligentiam totam Bernardus Ptolomæus. Quis unquam mortaliū intermicantem suspicere lucem curiosè, aut per otium affectet, dum meridianus summo in cœlo sol regnans omnibus in commune profertur; sūque orbi terrarum diem jam liquidissimum dilargitur? In Ptolomæis lunis ut ut excelsum, profectò non nisi citimum terris, non nisi terrenis rebus finitimum & cognatum jubat videre fas erit. Supremum ergo cœlum, quod jam opportunitas offert, adeamus mēte, ibique aliud longè majus Ptolomæum lumen, Heroem nempe beatissimum prospectemus. Te te unum Senensis

Ber.

112 *Prosa Undecima.*

Bernarde, qui Claravallensis alterius
virtutem cum nomine geminas, te mo-
dò unum conspicari prægestio, missis
interim cæteris, quæ non tu, sed tua
fuere, quæque sunt ignaro divinorum
vulgo conspicua, sed tamen tunc solum
nostros in sublime animos erigunt,
cum animos infra nostros generoso ip-
sa contemptu rejecta & calcata subsi-
dunt: nam omnibus demùm, quæ hu-
manitùs magna sunt, ille se facit ma-
jorem qui non magni ea fecerit. Agite
ergo Auditores, Bernardi virtutes, sen-
susque desuper haustos, eoque identi-
dem redeuntes jam conspicite & co-
gnoscite. Virum cogitatione depingi-
te, cuius omnia consilia, & vota eò col-
liment, ut mens terrarum nesciens,
mortaliū rerum secura id vitæ insti-
tutum suscipiat, quo ad Sponsæ imita-
tionem sacris in Canticis cælesti epitha-
lamio decantatæ & se Deo totum ob-
stringat, & totis Deum amoribus, totis
âplexibus voveat, atq; applicet sibi. Virū
depingite sibi pugnacissimè infensum,
diffluentis in luxū naturę castigatorem
acerrum, rebellatis ab ratione appe-
titus debellatorē fortissimum: Bernar-
dum

dum utique Ptolomæum has per im-
gines reddidisti. Verumtamen si Ur-
binatis, aut Perusini Apellis tabulas
non carptim, raptimq; fastidiosis oculis
pervagamur, sed pro eo ac nitor illa-
rum, cultusque tam subtili partium col-
locatione, metroque deductus, & non
uno genere formosus postulat; cuncta-
bunda sedulitate jam longius abstan-
tes, jam propriis accedentes relegi-
mus: quidni Ptolomeam hanc animam,
sanè inclitam, atque expressam Dei di-
gito virtutum omnium effigiem non
properante, atque omissore, sed at-
tentio, sollicitoque intuitu ab initio re-
cognoscere; perque sua incrementa ad
finem, & coronidem usque suam per-
lustrare sit animus? Est animus omni-
no: Auditores: consultissimus juris Ber-
nardus, legali q; pallade instructus tum
quæ ad componenda fori dissidia, tum
quæ ad juniores discipulos ex Emicyclis
instituendos usui esse valeat; in obscu-
ram, incertamque fluctuosis opinioni-
bus cōtroversiā induerat sese. Quocirca
pēdente diū animo, & in neutrā adhuc
partem annuente visum est in prēnobi-
li confessu, sponte ac palam profiteri; id
dubii

dubii in eam esse diem seponendum, quam litterato certamini nuper ipse condixerat. Decretoria die imminente provolutas in genua Deiparæ Virgini enixè supplicat, tandem aliquando annum explicet diù laborantem difficultate indeprehensa, ut ad præstitutam altercationi diem sententiam definitam, expeditamque pro munericis sui dignitate depromat. Illuxit enim verò dies; at eam spectare lucem, ac diem Ptolomæo vix datum. O sinuosas supernæ semitas providentiae: O profundum sapientiae cœlestis consilium, quod sapientiae terrestris caliganti infirmitati salubrius multò fuerit reverenter mirari velle quam instanter rimari. Ipsa eruditæ concertationis die inopino ocu- li morbo Ptolomæus corripitur; præsentissimum ab Deipara Virgine medicamen continuò precatur. Quid putatis? Num nè tam celeris, erectæque fiduciæ merito facilem arrisisse Deiparam? Vix precibus ritè peractis alteri repete oculo vitiosus humor incubuit, ut pati proinde cœlum, diemque haurire nisi opacitate multa temperatum haud posset. Tum Bernardus intersub- na.

nascentes ex ærumnis ærum nas cæcul-
tientibus quamquam oculis totus ocu-
leus factus quod antea nequaquam vi-
derat, acutè statim perspexit; inque
ipsum scopum Dei ferientis, feriendo-
que medentis meliorem oculo corpo-
ris, animi sui oculum defixit. Quod
itaque sapientis consilii superest matur-
rimè arripiens interposita juris jurandi
religione ad id se indubitanter adegit,
ut si modò explicitam oculorum usu-
ram repararet divinitus, volaticam
mundi hujus figuram nunquam in po-
sterum fore sibi non invisam, sanciret.
Numine jusjurādum secundo concep-
tum præpotentis opem collyrii conse-
stim devocavit è cœlo. Quamobrem
Ptolomæus frontis, mentisque lumini-
bus jam perspicax, ejus tyrocinia pro-
positi, quod persanctè affirmaverat, sa-
pientissimè audax aggreditur, & cun-
cta terrarum lenocinia generosissimè
fugitivus devincit.

Vos vicitricis hujusce fugæ placidissi-
ma quies, vos sinus, & statio tutissima,
vos triumphale capitolium fuistis ò
inhospitales antea specus, ò inaccessa
Etrusci montis latibula, ò rupes tantò
mihi

116 *Prosa Undecima.*
mihi major quam Tarpeja , quanto
Romanis illis Augustis Ptolomæus hic
Senensis augustior . Quanta , Deus im-
mortalis , quanta iis in tenebris , &
quām præclara , quām digna Urbium
luce , famæ tinnitu , mundi theatro a-
gere , & pati exorsus est amicus Dei ,
hostis sui Bernardus ! Illis in caveis in-
ter belluarum consortia , inter ulu-
lantes luporum immanitatem exuere
sele humanitatem omnem est visus ;
haud ita tamen ut minor homine , sed
ut longè major evaderet , non ferinam
asperitatem induens , sed migrans pro-
pemodùm in angelicam felicitatem .
Etenim quì fieri unquam poterat , ut
sensibus concreti corporis adhuc impli-
citus (nisi aliquid indemnitatis angelici
cæ adstruxissent superi) tot unus labo-
ribus , tot vigiliis par esset , tot afflcta-
tionibus , tot pænis , quas sibi ipse ir-
rogabat implacidus sui judex , atque
implacabilis tortor ? Si de ejus mensa ,
dapibusque scitabor , aliud quidpiam
non aderit præter asperrimos herba-
rum fætus , qui vel hiantibus fame lu-
pis impunè stetissent appositi . Si ve-
stem explorabo , hirsutum comperiam ,

ac

ac setis, villisque armatum sagulum ad membrorum an tegumentum, an tormentum? Si nocturnæ quietis vel momenta, vel fulcimenta perquiram; ad exiguum clepsydræ brevis mensuram lassum verberatione, atque inedia corpulatum prærupto super topho decumbit accersendi ne gratia somni, an studio avertendi? Quid quòd fatiscet, ac malè materiatum eremi fornicem aut torret æstivus Leo, aut brumalis December nivibus, nimbisque infusis exasperat: ac præfervidus incola, cuius vel ad provocandas unde unde calamitates tam naviter incubit patientia; jam volens, libensque excipit hospitio suo adventitias pænas, & cruciatus ultrò invisentes, ac tanquam salutantes amplectitur? Habeant (inquit) tristissimè hilares, & miserrimè felices dinastæ, aureas domos habeant in peristilia, & propilæa provinciarum more laxatas: teneant sua velut hyberna, ubi mitiores hyemes, ac planè tenuentes traducant; sua velut æstiva teneant, ubi nexilibus, textilibusque topiriorum umbraculis, otiosisque platanonibus opacantes meridiem leniter

ter

ter, molliterque frigere solstitia ipsa vel
doceant, vel jubeant: certè quidem
fuerit mihi satius multò, ac suavius
hac mea in fovea inter beatos solitudi-
nis, silentiique mærores, inter Silve-
stris victus plusquam geniales miserias
ex qualibet anni tempestate quasi tem-
pestivos nutriendæ animæ fructus cor-
poris cruciamenta colligere. Hæc vide-
licet fovea erit mihi plusquam auri
fodina ad pretium plusquam aureum
eruendum; hoc erit simul & horreum
ad congerendas fruges alteri verè sæcu-
lo profuturas. Tam arduos sensus, ter-
renisque sensibus incomptos Cælitum
afflatu concipere, & parere magnum
illud Ptolomæi pectus didicerat.

Verùm in eos altissimi montis rece-
sus quantumvis confragosos abdere
iatis Bernardum non potuit cælestium
rerum desiderium, terrestrium fuga,
odium sui: sanctitas namque in cælum
aspiciens, & aspirans, cætusque huma-
nos, & uidam spernens humum fugien-
te (quod ait ille) penna, esse deum
impervia laudationi, & obsequio mor-
talium quamcupit ipsa, tam nequit.
Secedit à publico? frequentiam solitu-
dini

dini suæ ; fugit ab alloquio? celebritatem silentio suo; latere penitus studet? splendorem latebris suis vel nolens, renuensque conciliat: quandoquidem hoc uno mundus iste cætera despiens sapit, quòd sui ipsius contemptores, atque olores æstimator ipse, amatorque venerabundus prosequitur. Vestros jam animos intendite quæso per vestram fidem Auditores; & tot undique viros ad magnum parvitugurii habitatorem certatim convolantes prospicite. Approparent hinc pariter, atque hinc altæ sapientiæ, ac fortunæ viri ad Montani supercilii speluncam, ut Ptolomæum iis se latibulis involventem diù, deprehendant aliquando, & suspiciant, colant, consulant, consequentur. Involas te penitus licet, & quantumlibet introrsum perurgeas trans horren- das usque ferarum noctes, & nemo. rum flexuosas ambages Ptolomæi de- missio, erumpas tandem, atque emi- neas oportebit, adorante splendida sui ipsius odia mundo, & usque ad apo- thetim, & aras extollente.

Nec verò inferior tantum iste mun- dus delitescentis Bernardi desiderio du- ci.

citur, ut virtuti, quæ umbræ, & meditationi jugiter studet, theatrum se præbeat, atque sistat; eidemque in taciturnis illis nemoribus sonoram acclamatem, gloriosum præconium importet: cælum ipsum, cælestes ipsimet Proceres Bernardum officiosè, honorificèque conveniunt, & suis deliciosè commerciis, spectaculisque suis oblectant. Libeat hic memori narratione speciem illam, spectaculumque faustissimum per nos ipsos nobis reponere, quo Ptolomæus noster se ipse (dantibus olim tanquam in orchestrā solatia sua Cælitibus) per jucundissimos obtutus implevit. Alite contemplationis æstu, atque impetu præreptus corpori quondam, jamque peregrè in Deum, atque in divinarum rerum mirabiles formas transiliens, scalas, aut scalariū instar molē nescio quam aetherea circum luce radiantem Ptolomæus videt. Ea porro moles à telluris planicie perpetuo quodā per gradus argenteos tractu ad summum usque cælum edicitur: atque ad dextri quidem lateris culmen divinus humanæ salutis vindex præmonstrat sese; lævum autem fastigium

gium obtinet ex adverso Genitrix Virgo: ambo candida, & pellucida simul clarescunt in ueste, quam aut sutili latentis in Cœlo viæ Zona contextam, aut matutinis, ac virgineis planè nivibus candicantem credideris. Interea ordinis Angelici pubes catervatim asfultans heroinas animas in ima quidem tellure adhuc commorantes, sed limpidissimum illum callempariter anhestantes alacri hortatur loquela, & per triumphalem exinde letitiā manu dicit in cælum. Proh elegantem pompam, & venustam! Proh stupēdū; & supernum, & mysticarum rerum cœlestē penitus simulacrum! Hęc nimirūm, aliaque id genus oblectamenta in conspectum è cælo dari fas erat intaminatis, ac nobilibus oculis, despicientibus jam pridem humana, nec nisi cœlestia, ac divina requirentibus. Mortales vesani, & miseri quoties per ingenia fabularum cothurnos cruentamus in scena, ut theatrales, picturatae que calamitates, & funesta mendacia lacrymarum tragicam nobis voluptatem exhibeant. Quantum profectò cum ethereis Ptolomei oblectamētis nostra isti hęc discordant! quam discolor illius jucundi-

F ta-

tatibus nostra isthæc prodit de luctuosis
argumentis luctuosa jucunditas, nec la-
crysabile minus, quam lacrymabun-
dum gaudium.

Sed quis me error, quæve mentis
evagatio, aut digressio à faustissimo
Ptolomæi spectaculo incautum, atque
imprudentem abstruxit? Consilium est
illuc iterum iterumque reverti, consi-
lium mihi est, cælestem illam speciem,
specimen illud voluptatis æternæ &
pleniore, & diuturniore prospectu u-
surpare. Ad extremam, terrisque pro-
pinquiorem prodigiosi illius machina-
menti partem egregias spectabamus a-
nimas angelicæ dextræ adminiculo sy-
dereum iter intrantes. Evidem nihil
hoc delectabilius apparatu obviam
esse Ptolomæo usquam potuisse puta-
verim; quippe florentissimum illud
animarum jam è terris in cælum eva-
dentium agmen quid nisi Olivetanos
Heroas, fortunatissimam scilicet Pto-
lomæi sobolem institutis, exemplisque
magnis posthac cælo, atque Deo pro-
creandam signabant?

Ut Trojano Duci Elysios manes
visenti optimus Genitor de futura Ro-
ma-

manorum Nepotum serie festinatam
lætitiam quasi prælibandam daret ,
venturos quondam , Albana illa , &
Romana Nomina , Patres , Sylvium ,
Procam , Augustum , Marcellum præ-
notavit digito , suasque copias lustran-
do non gregariis militibus , sed Impe-
ratoribus , & Regibus ipsis instructas
ambitiosa descriptione recensuit . Hæc
tamen ludicra fuerint ostenta , bracte-
æque Poetarum sonoræ per argutam
veri similitudinem aut alludentium
veritati , aut adulantium potestati .

Id felicitatis , gloriæque Ptolomæo
fuit & feliciùs , & gloriostius multò
concessum . Is etenim per cælestem pi-
cturam ipsa erudiente veritate suorum
famam , & fata Nepotum ediscit . Intue-
tur per immensum illarū scalarum tra-
mitem , præstantissimum in primis vir-
tutum , & legum suarum imitatorem
Ambrosium Picolomineum , quem
præcipue commendat spectabilis terre-
strium illecebrarum despectus , atque
heroicè ferox in se ipsum iracundia . Pa-
tricum è Patriis intuetur , quem sub-
latis , intentisque semper in æternita-
tem & curis , & votis vita adhuc ma-



nente aut mortalem inter cælestes , aut
inter mortales cælestem civem existi-
mes. Intuetur Romanam illam Vira-
ginem Franciscam , cuius avitæ nobili-
tati mirandum in modum fæderata
consensit Christiana humilitas ; atque
avita nobilitas Christianæ humilitati.
Intuetur Georgium Martinutium , Si-
monem de Senis aliosque perplures exi-
mia religiosissimi cætus sui honesta-
menta , & columnina . Per hujusmodi
Cæli visiones , grandem illam , ac tel-
luri fastidientem animam scitissimè ,
ac genialiter pascunt delectantque sanè
voluptuosi , sanè illecebrosi cælicolæ.

Nil proinde mirum est , si Ptolomæo
eidem favoribus , & honoribus cumu-
latissimè exornando unà cum Cælico-
lis conspirare undique videntur terra-
rum Optimates , ac Principes : Hinc
namque Aretini Antistites ejus vitæ ra-
tionem , ac mores disertis in cælum
laudibus ferunt. Hinc Romani Pon-
tifices ejus arbitria , legesque fixas , fir-
matasque in omnem posteritatem vo-
lunt . Hinc Imperatores , ac Reges ,
quò se cumque porrigit ditionis suæ
majestas , Ptolomæo , atque ejus soda-

li.

libus ædes, templa, cænobia cum redi-
tibus opulentis decernunt. Verùm e-
nimverò ad illorum præsertim vota
mentem hic meam adverto, qui Pto-
lomæum tam præsignem videlicet
tantæ virtutis heroem non solitudini-
dumtaxat ostendi, sed civium oculis,
animisque restitui perquam impensè
cupiunt, & efflagitant.

Quid ad hæc ipse Ptolomæi laudator
edisseram? quid reponam? Velim pro-
tinus nonullam inire querimoniam, &
his utcumque vocibus ea vota propul-
fare, aut compescere: siccine studio-
sam voluntariæ obscuritatis indolem à
silvarum tenebris ac silentio reluctan-
tem exponere concupiscitis ad pulcher-
rimæ lucis fulgorem, ad celeberrimæ
famæ clangorem ò proceres, ò populi,
ò Senensis Bernardi populares, ò Cives.
Parcendum denique cupiditatibus istis,
parcendum est; aderit namque, nec
sera profectò ea dies, qua volentem ul-
trò, & optantem turbæ, atque urbes
denuo Ptolomæum aspicient. Compu-
lere integerrimum virum in solita-
rium, ac taciturnum vitæ genus irrita-
menta illa vitiorum, mundanus luxus,

atque urbanæ delitiæ : rursum à solitario , ac taciturno vitæ genere ad urbes, turbasque reducent invitamenta illa virtutum, calamitas, atque labor. Cùm primùm Senense Cælum, ac solum lethalis lues infecerit, reddet se se Civitati, ac Civibus suis præsenti animo, depromptisque ex charitate subsidiis inter mille languentium discrimina, inter tabificos morientium anhelitus in situ , & squalore cadaverum alienæ satagens vitæ , suæ negligens , despiciensque Bernardus, atque ad extremum fidelis, fortisque servitii pretiosam retribuente Domino suo mercedem, nanciscetur generosissimam mortem . Ita inter implendum præcipua Christianæ religionis, ac pietatis officia emeritam jamdudum animam Senensis, ac noster Heros fortunatissimus ponet. Par erit nimirum, eam Olivetani montis electissimā arborem nullum vitæ momentum à fruge vacare , imò non nisi in aliqua magnæ frugis fætura absolvi terris, & in cæli poma-ria transferri .

*Jam ut ab arbore , & monte nostra ad nos oratio desiliat ; perennem arbo-
ris*

ristantæ autumnum mecum, uti opinor Auditores, cognovistis. Reliquum id modò unum videtur, ut quoniam sub patrocinante ejus arboris umbra vos Ptolomæi Bernardi Cives, nos Ptolomæi Collegii adolescentes contegimur, non desides clientuli non inertes, & planè supini oscitanter sub arbore ipsa otiemur, sed tantam, ac tam multiplicem ipsius arboris frugem non sine aliqua nostrorum fruge animorum seduli meditemur, strenuiq; imitemur.

PROSA DUODECIMA

In Sacra Sanctorum omnium solemnitate.

ORATIO. *

Habita in Sacello Pontificio ad Alexandrum VIII.



Riumphantis, quæ sursum est, Ecclesiæ decus numerosum, & pompā omnino universam per hunc Divorum omnium ritè memorem diem uno velut prospectu nobis contem-

F 4 plan-

* Hæc Orat. dicta fuit à quodam Collegii Germanico Hungarici Alumno.